

THESES,
PHILOGICICI ARGUMENTI,
QUAS,

STIPENDIARIOS EXERCENDI GRATIA,
VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS,

EDIDIT

Mag. JOH. HENRICUS FATTENBORG,
Litterat. Orient. Prof. Publ. & Ordin.,

RESPONDENTE

ELIA LÖNNROT,
Nylando & Stipendiar. publ.

VENTILANDAS

In Auditorio Juridico die X Junii MDCCCXXVI.

h. a. m. s.

ABOË, Typis FRENCKELLIORUM.



Thesis I.

Licet negandum non sit, vatum Hebræorum oracula sententiarum frequentia, figurarum multitudine, audacia & insolentia, ac denique admiranda sublimitate esse ornatissima, vix tamen una cum Rev. Lowtho aliisque Viris doctissimis affirmare audeamus, hæc carmina, laudatis hisce virtutibus, non solum ab occidentalium, verum etiam orientalium populorum dictione poëtica ita esse distincta, ut statim ac illorum quoddam recitetur, eodem quoque momento audientium mentibus sese intrudit opinio, Vatis cujusdam Hebræi ingenio illud idem esse effectum.

Thes. II.

Quod enim ad frequentes sententias in carminibus Hebraicis occurrentes adinet, aut luculentissima tantummodo sunt testimonia, ad canam antiquitatem semet referre hæc ingenii specimina, aut artificio quodam poëtico, parallelismum, de quo mox pauca dicemus, vocant, originem suam debent. Longiores artificiosa vocum & numerosa circumductione structas periodos, haud mediocri artium liberalium cultura expoliturum finxit seculum: breve vero & concisum dicendi genus & prisca amavit vetustas, & summo studio amplexi sunt omnium orientalium gentium poëtæ; nam quot in carminibus illorum reperiuntur strophæ, fere totidem quoque leguntur sententiæ,

Thef. III.

Majori vero figurarum numero onusta esse poëmata Hebræorum, ac aliorum Vatum Orientalium carmina, qui contendere audeat, an grandiloquos Persarum Arabumque Poëtas canere audierit, vehementer dubitamus; si autem postea suis oculis dulcia HAFEZI & EBN-AL FAREDDI carmina amatoria perlustraverit, eaque cum Cantico Canticorum diligenter comparaverit, palinodiam mox ipse alta voce canet. Quin etiam figuratæ dictionis pulchritudinibus permulti alii, exceptis Hebræis, ita delectati sunt Orientalium scriptores, ut oratione quoque prosa utentes, frequentiori improprii sermonis usu, omnes gentis Abrahamiticæ Auctores vincerent. Cujus rei cum permulta afferri possint exempla, Hariri consesus & vitam Timuri nominasse juvabit.

Thef. IV.

Sublimia esse permulta Hebræorum carmina, nemo quidem negabit, at elatum dicendi genus omnibus tribuere, quis est qui audeat, aut qui pariter magnifica, ac in Codice Hebræo, apud alios Auctores non inveniat verba? Admiratione, imo stupore correpti, ex. gr. Psalmum XXIX. perlegimus, sed totum quoque tremit corpus, quoties fulminantes audiverimus AESCHYLI voces (*Prometh. Δεσμωτ. v. 1050 seqq.*): Χθών σασάλευται, Βρυχία δ'ήχων παραμυκάται Βροντῆς, ἕλικες δ' ἐκλάμπασι Σπεροπῆς ζάπυροι &c. &c. Magnifice suum Jehovah describunt Hebræorum Vates, sed splendida quoque est regis Persici Feridun apud FERDUSIUM imago, (in G. JONES poëf. Af. Commentt. p. 205), & illustrissima apud TASSONEM, MILTONUM, KLOPSTOCKIUM aliosque, tum antiquioris, tum recentioris ævi auctores de Summi Dei majestate, potentia, bonitate atque sapientia leguntur loca, quæ, nisi prava, aut præjudicata opinione capti simus, cum Mosis, Davidis Prophetarumque oraculis facile comparamus.

Thef. V.

Multo igitur facilius & a periculo errandi tutius ligata Hebræorum oratio a pedestri sermone, Parallelismi ope digno

scitur. Constat vero hoc artificium in tali membrorum æqualitate, ut in duobus plerumque versiculis præcipua verba verbis, singulæ sententiæ sententiis respondeant, licet, ut jam a Rev. Lowtho aliisque observatum est, multam habeat varietatem, ut alias accuratior & apertior, alias solutior & obscurior sit, pluresque comprehendat species. Israëlitarum vero Poëti quamquam ita proprius sit hujus artis usus, ut simile quid apud alios populos Orientales frustra quæras; attamen inter omnes gentes, aut tribus, hebræa lingua utentes, viguisse eundem morem, carmen, victorias R^{egis} Amoritarum celebrans, ab ipso Mose, *Num. XXI. 27.* seqq. nobis servatum, testari videtur.

Thef. VI.

Ad interpretationem vero sibi invicem respondentium, tum singularum vocum, tum omnino sententiarum, aut stropharum, permultum confert constans apud Hebræos vates parallelismi usus. Sic e parallela vocabulorum constructione liquet, vocem רפאים, *Jer. XXVI. 14.* haudquaquam significare *medicos*, ut habent LXX, sed *mortuos*, aut *manes* illorum; quia in antecedentibus respondet voculæ מתיים. Quo eodem modo clarum fit, stropham apud Joëlem, *C. II. 23.* כִּי נָתַן לָכֶם אֶת הַמָּוֶה לְצִדְקָה explicandam esse, "*nam dedit vobis sufficientem pluviam autumnalem;*" quoniam in sequenti membro id fore promittit vates, ut eadem pluvia una cum vernali & imbre sit descensura. Inepta etenim hoc loco sane est vulgaris horum verborum interpretatio: "*Nam dedit vobis doctorem ad justitiam.*"